

Wd  
379






Q. K. 124, 32<sup>a</sup>.

Wd  
379

Christiani Schlegelii  
**EPISTOLA**  
APOLOGETICA,  
Qua ad Objectiones Tentzelianas  
breviter & modeste respon-  
detur.

---

*Hamburgi.*  
ANNO MDCCV.



Christiani Schlegelii

# EPISTOLA

## ARITHMETICA

Quae ad Objectiones Taurinenses

prelo et in modis non

decur.

---

Hamburgi

ANNO MDCCLXXV

LIBRARIUS  
HAMBURG

*Vir Nobilissime atque Excellentissime!*

**Q**UOD alii, molestum forte accidisset, hoc jucundum admodum mihi fuit legere, simul & cognoscere clarius, affectum scilicet erga me Tuum, velut in insidiis huc usque latitantem, eminusque saltem haecenus mihi minantem, nunc demum vero, quamvis citra intentionem meam, in lucem protractum publicam. Qui sane æquus an iniquus mihi sit, judicent illi, quibus scripta Tua mihi opposita in manus venerint, omnesque illi, quibus credi um non est in calcaeo. Certe sicuti omnia *veritatis solius studio*, quod omnes, qui mea modò *ἀπαίδευσις*; legerint, deprehendent, scripsi; ita hac sola me contra omnes sinisterioris affectus insultus munio, & ab hac defensionem expecto. Dudum enim est, quod penitus me infixerm animo, proptereaque etiam Albis amicorum inferbere solem, magnum scilicet Theatrum mundum esse, in quo tot histriones, quot homines: curare autem prudentem ex Philosophi cujusdam præcepto debere, ut quantum fieri possit, spectator sit, non actor tabulae; eos, qui spectaculum sui in scena exhibeant, laborare, qui spectent, ridere & delectari. Neque me fugit, hominis sicuti ingenui esse, velle bene audire apud omnes; ita improbi vicissim, alios rodere, ac omni, quaque licet modo, occasione sugillare; imo dudum cognovi, Eruditorum scripta critica, bile magis, quam amore abundantia, famæ potius latrocinium, quam veritatis pro fine habere serutinium; cujus rei exemplum, ut recentiora taceam, in Crusio habes atque Frischlino, de quo elegantissimum in Chytræi Epistolis & quidem ad Pancratium Crugerium pag. 602. exstat judicium; *Grammaticum bellum inter Frischlinum & Crusium geri sinamus, quorum ille tanto animi impetu in adversarium fertur, ut Graecis non magis curæ fuerit Trojam capere, quam ipsi adversarium omnibus probis deformatum conculcare. Indigna profecto ingenii Frischlini excellentia est, quæ in tali argumento tempus & operam perdat; nosterque ipse, quantum gloriæ Tibi scripta Marckiana, Thomasiæna & Pfawneriana adversus Te emissa conciliaverint. Sed quam alieno sim animo ab inutili, infaustoque litigandi, pungentique, ubi ubi licet, pruritu, non solum mea vivendi ratio, sed & hæc ipsa, si me nondum nosti, Te docebit scriptiuncula.*

Iam dudum equidem ad Tuam superiori anno adversus me editam ac mense Martio 1703. Novis literariis Hamburgensibus p. 92. jam insertam respondere potuissem epistolam, saltem acerbiori Te vicissim, multis culpationibus, quas talis haecenus satis cognovisti, me onerantem perficere, sed cui usus? sufficiat mihi cum Philosopho, præstitisse omnia, nisi culpam. Adversus pietatis, adversus amicitiae hoc foret leges, quas Te transilire potius potiar, quam concedere, ut de me hoc effari cum veritate queas.

Nudam proinde & hac vice Tibi veritatem opponam, sine ulla iracundia, sine ulla animi commotione, Lectoribus judicium de controversiis nostris relicturus. Beneque primum est, quod *samam*, quam *mendacem optas*, *mendacissimam* jam nunc ex *Bilckii* ore Lipsiæ *expertus sis*, atque de hoc satis. Dehinc, quod ita ferente occasione, & cum de iisdem nummis agerem, de quibus olim & Tu egisti, quosque Clarissimi Viri, Dn. *Sperlingius*, *Paullini* & *Olearius* explicatos dederunt, meam sententiam dixerim, vestramque quandoque probaverim, quandoque rejecerim, non nego, hocque, salvis amicitiae legibus, licere, nemo sanus negabit. Tantumque abest, ut *Excellentissimi Viri*, Dn. *Sperlingius* & Dn. *Paullini* id improbaverint (quorum tamen, nescio quæ, *adversus me molimina* Tu vanus

A

plane

plane ominaris) ut potius *Iste*, (cui tamen diu jam ante Dissertationem meam transmiseram) nihil plane hujus in amicissimis suis die 16. Febr. currente anno Hafnia ad me datis, fed hæc potius referat: *Nihil mihi gratius fuit, quam literas tuas exofculari, Vir Clarissime, quas die XX. Januarii hujus anni Arnstadio dedisti. Vivo equidem & valeo jam septuagenario major. Quæ mihi mandata sunt ago in Academia nostra illustri sic satis feliciter. Et quamvis multa mihi sint, quæ præla fatigare possint, haud tamen hanc gloriam quæro, tum quod hic Typographi sumtus immensis requirant, tum vero quod mea, postquam illa conscripsi, mihi ipsi displiceant, vel spongia incumbant, nec digna typis judicem. Multi tinea & blattis scripserunt, scribo non minus ego. Quæ mihi supersunt otia, pauca sane, Antiquitatibus impendo colligendis illustrandisque, posteris forte placitura, mihi nequaquam &c. Hic vero me non solum nuper Ilenaci præsentem humanissime exceperit, literisque svavissimis non diu post inviserit, sed & libro quodam mihi per charo nuper me donaverit. De illorum ergo molimimibus mihi perfectum nihil est, in iis autem, quæ Pl. Rev. Dn. Olearius in Specimine 1. de Nummis quibusdam bracteatis ad decem Theses meas Dissertationi de nummis Ilenacensibus subjectas regessit, tantummodo argumentorum meorum destructionem adhuc desidero.*

Sed quam gratis me porro fingas publicum alio Aristarchum, Teq; potius talem scriptis Tuis hæctenus editis constituere allaboraveris, omnes, me vel tacente, cedo, intelligent, quibus natus non est obesus, recteq; fecisses, si & ipse obtervasles Ciceronis estatum: *Omnia, quæ vindicas in altero, Tibi ipsi vehementer fugienda sunt.* Ac proinde cum festinatis calami macula me adspargere coneris, attendere saltem debuisses tot sententiarum Tuarum in prioribus toliis Supplementi Tui II. Historie Gothanæ assertarum in posterioribus retractationes, quæ sane certiores festinantis Tui oculi, manus ac mentis notæ sunt, ut pote quod ultima neque in mente neque in charta habueris, cum prima scripseris, quam quas Tu mihi impingis. Præque Te, si essent, (quas tamen non esse, ex sequentibus elucet) excusationem mererer, utpote cum Tu illis unice tunc intentus, unice invigilans, unice salarium merens ista scripseris, ego contra aliis laboribus adstrictus hæc horis saltem subscevis & somno ereptis in chartam conjecerim, publicæque jam (pag. 1. de Nummis Goth. Dis.) professus sim, Benev. Lectorem tumultuaria saltem commentatione nummos istos explicatos a me accepturum. Sed nunc ad singula pergam, & quid mihi de quaque objectionum Tuarum videatur, amice monebo. Distinctionem equidem Bracteatorum in Denario, sive Bracteatos majores, & Penningos, sive Bracteatos minores nullam p. 92. Epistola Tuæ putas, & quidem ex ea ratione, quod omnes & majores & minores bracteati olim audiverint Denarii. At quam infirma consequentia! omnes olim dicti fuisse Bracteati Denarii, (quod tamen plane non esse, statim evincam) ergo hodie recentiores Bracteati, non recte appellantur Penningi, omnesque bracteatos non possum recte distinguere ratione formæ in Denarios, sive bracteatos majores, & minores, sive Penningos. Eadem est consequentia: Omnes (quod negare non potes) Bracteati & majores & minores olim vocantur in diplomatibus Germanicis penningi, (Penningi) ergo, ex Tua mente, antiqui majores bracteati non recte vocantur Denarii. Dumque nomen origine Germanicum Penningorum in diplomatibus Germanicis latino idiomate exaratis a me Tibi ostendi desideras, ego non possum nomen origine Latinum Denarium in diplomatibus Germanicis Germanico idiomate perscriptis a Te mihi exhiberi, vicisum prætendere & si hoc Tu mihi feceris, id illico tunc a me quoque Tibi fiet. Imo ex Tua argumentandi ratione hodie Joachimicos non recte voco Vallenfes (Thaler) cur? quia olim dicti fuisse grossi floreni, ac densi (Gulden und diese Groschen.) Quin & grossos hodiernos non recte

nomino Groschen! cur? quia olim dicti fuerunt *solidi*, atque in Diplomatis mediæ æ-  
 vi, Latino idiomate exaratis, non nisi *solidorum* nomen occurrit. Recte siquidem dicis  
 cum *Frisio*, & jam ante quoque alibi cum *illo*, itemque *Lindenbrogio* in Glossario sub voce  
*solidus*, statui, atque ex Diplomatis etiam perspicue evinci potest, *duodecim denarios*  
*consecisse solidum*, perinde ac *duodecim penningi hodie grossum*. Sed cur *grossos* hodie non  
 appellas *solidos*? Ratio est, quia *solidorum* nomen exspiravit in *grossis*, perinde ac *Denari-  
 orum* in *penningis*, ita tamen, ut scriptio saltem *penningorum* per  $\S$  remanserit, *non*  
*item appellatio*, ut Tu quidem putas, ipsique *penningi* sive *bracteati minores a majoribus*  
*Et denariis forma*, (nam hi sunt majores, illi minores) *materia*, (hi constant enim ex ar-  
 gento puriori, illi ex mixto) *figura* (hi siquidem antiquiores primo nitido fatis typo, postea  
 rudiori constabant, isti vero pro cujusvis prope loci artificis captu variant) insigniter plane  
 discrepent. Adeoque & hoc in *Frisio* attendere debuisses, quod vicissim ille in Speculo  
 monetario p. 156. monet: Aus den erscheinet / daß die Pfennige eines jeglichen Orts  
 ein fundament der Markk und der gangen Rechnung sijn / grosse Pfennige / (denarios  
 indigitar,) große Schillinge / Lothe / Vierdinge und Markke: Kleine Pfennige / (pen-  
 ningos indicare vult) kleine Schillinge / Lothe / Vierdinge und Markke. Und ist eine große  
 wunderbarliche Veränderung der Pfennige nach Langheit der Zeit eingefallen /  
 daß viele Pfennige (penningi proprie ita dicti) so geringe worden / daß sie nicht alleine aus  
 dem Gebrauch / sondern gar aus der Menschen Gedächtniß kommen / die Ansangs vor lan-  
 gen Jahren ziemliche große Pfennige / auch in dem Gewichte den Greenen / oder der  
 Pfennig Silber-Gewicht / mit der Schwere gleich / und etliche darüber gewesen. Et  
 adhuc clarius de diversitate penningorum ratione materiae pag. 146. agit: Neben solchem ist  
 wohl in acht zu nehmen / und zu mercken / daß das Witte in der Münz nach Langheit der  
 Zeit in den Städten sehr abgenommen / derowegen / wann der leedigen Markt  
 Bichte und Witte recht soll gemacht werden / so muß man ansehen und betrachten die  
 Zeit der Verschreibung / was daselbst vor Korn und Witte in der Markt an dem spe-  
 cificirten Orte gewesen sey. Sintemahl das gewiß und wahr / je älter Verschreibung /  
 je besser das Witte und innerliches Korn / und auch so viel höher der taxt der Markt  
 ist / je jünger oder neulicher Verschreibung / je geringer Witte und taxt seyn muß. Cau-  
 sam vero tam insignis mutationis penningorum, & degenerationis *Denariorum in pennin-  
 gos*, sive *bracteatos minores*, idem *Frisius* pag. 121. non obscure hinc inculcat: Solchen  
 Abbruch des Witten oder Kornes / haben die neuen Böhmisches / Meißnische und Thü-  
 ringische Groschen / die den Leuten neu und angenehme gemacht / dadurch die guten Sil-  
 ber = Pfennige (denarios rursus indigitar,) aus dem Lande geführet / wie die Klage dero  
 Zeit gewest. Pauloque ante: Dieweil die Silbern Pfennige ausserhalb Landes ge-  
 gen die fremden Groschen sich verlohren. Rursusque pag. 147. Dieweil diß Ort Lan-  
 des gemeinlich Pfennige und Körteinge alleine gangbar / so seynd Böhmsche Groschen  
 auf die Art der Turnosen anfänglich geschlagen / eingewißen / die seyn als das gröbste  
 Geld angenehm gewesen. *Forma ergo*, (quæ dat esse rei) *materia & figura*, cum discre-  
 pent, *nomine* etiam *diverso* non designentur? Sane, si *verba valent sicut nummi*, *penningos*  
*vocari* par est eos, *quorum tempore Denariorum nomen*, & *Scripta publica* citargerat,  
 & *memoriam hominum ex excesserat*. Sed cur tam odiosa Tibi hæc mea est distinctio? non-  
 ne & jamdudum ante me (anno 1679.) Cl. Dn. M. Paulus Martinus Sagittarius, eisdem  
 bracteatos minores in *Dissertatione I. de nummis Saxonice Altenburgi* edita Lit. A. 3.  
 appellavit *penningos leoninos*, (Löwen = Pfennige) *penningos rutaceos*, (Rauten = Pfennig-  
 ge) quos tamen ex Tua mente *Denarios leoninos*, *Denarios rutaceos* nominare debuisset?

Nempe recte prævidit, vocabulum hoc *Denariorum*, uti illo tempore, quo cusi erant isti nummi, dudum jam obsoleverat, ita neminem se intellectuū, si *Denarium* vocabulo illos designasset, quippe quod aliam plane significationem induisset, illudque vel de numismate, quod decem valeret asses, (einen haben Koppf & Tücker) vel pro *solido*, velut Austriaci est, (einen Schilling) vel pro eo, quod decem nummos valeret (einen Zehner) torse accepissent.

Atque satis etiam perspicue de hoc, quod, nisi velis λογισμαζειν, quod per me tamen Tibi licebit, negare non poteris. Pagina 38. *Supplem. Tui II. Gothani* Te potius mihi inutilem movisse controversiam, idemque Te denuo pag. 92. *Epistola Tua* agere, ex eo fit manifestissimum, quod dicas, *Te verosimilitudinem saltem istam meam Tua oppositione tollere voluisse*, sed si rectius mea attendere voluisses verba, deprehendisses, *me ipsum jam verosimilitudinem istam removisse*, his proxime subsequentiis verbis: *Quamvis id* (in arce fuisse constat) *non certa in tanto Scriptorum silentio affirmare auserim, ac ista officina* (monetaria) *etiam in ipsa arce, ut olim Vinarie esse potuerit. Cumque ita ipse verosimilitudinem illam susulerim, quaeso, quid Tua amplius opus fuit sublatione, censuraque?* Nugas præterea venadis inutiliter disputando de *mitra loricata & galea Ludovici II. Landgravii*. Sufficiat, sive *mitra loricata* sit ex Tua mente, sive *galea* ex mea, quod falsa sint, atque fictitia illa *Monumenta Reinhardsbornensia istam exhibentia*, atque adeo *non digna*, ut de ea, tanquam de lana caprina, amplius disceptetur. Dissimulare tamen possum nequiquam, quod, quo compluries istam Landgravii figuram in Monumento illo spurio intuear, eo minus *mitram loricatam* deprehendam. Intueere mecum *galeas Landgraviorum primæ stirpis in nummis omnibus*, & gemellam plane illorum formam offendes. Respice *Monumentum Wilhelmi Coelitis*, Marchionis Misnensis, Misene videndum, genuinum, & ab *Hortledero* jam æri traditum, & *galeam & habitum* non multum huic ab similem, nisi quod fabrica differat, videbis. Neque sequitur, *corpus Landgravii loricatum est* (quod tamen, si recte video, potius *cataphractum est*) *ergo caput mitra loricata etiam tectum* conspicitur, quippe quod de *ista armatura nihil apud Scriptores mediæ ævi hæcenus reperire licuerit*, sed potius *Gunterus* Ligurinus Lib. 2. ita canat: *neque casside clausus*

*Tempora, nec chalybum munitus pectora textu;* ac, si ex *pictura* Tua saltem est *conjectura, calceos etiam ejusdem loricatos esse oportebit*, simili plane modo in *sculptura* illa comparentes, quod quam verum sit, ipse vides.

Fateor, me non satis mirari posse singularem Tuam obrectandi libidinem, dum pag. 93. mihi explicationem affingis, *quæ mihi, ut probata, æque minus in mentem venit*, ac istis Scriptoribus. Scilicet cum noveram, *verba Chronici veteris Germanici Thuringici, aliorumque Annalium Thuringicorum* a me allegata, quæ & *Peckensteinus* de Landgravii pag. 46. & *Bangius* Chron. Thuring. pag. 55. repetunt; quemadmodum ita voluiste interpretata, istam hisce conceptis verbis *removebam* interpretationem: *Nempe concessum fuisse illi, (Landgravio) simul eandem (galeam) argento obductam, aut potius ornamenta ejusdem argentea capite gestare*. Istam ergo, quam rejeci vocula: *potius, meam facis explicationem*, sed quam recte, alii judicent.

Gratis non minus & id dicis, me *fabulam illam de clinodio galeæ Landgravii probare*. Sane sicuti pag. 5. in *universum figmentum illud de insignibus Landgraviorum*, quæ vulgo iisdem tribuuntur, *Leone* scilicet *Thuringico*, contra *Carionem, Albinum, Peckensteinium, Spangenbergium, Rivandrum, Bangium, Binhardum, Hæppingium, Dillichium, Pfefferkornium, Lucæ*, omnes illius assertores, *ex nummis ipsis* rejeci; ita, *quaeso, qui statuere possum, [quod tamen Tu mihi affingis] Galeæ clinodium, omnium nummos ipsos*



ipfos insipientium oculos aequae, ac Leo iste, fugiens? quique paulo ante galeam nudam acuminatam saltem in nummis & sigillis Landgraviorum pag. 3. asserueram? Ego putarem, qui majus negat, rejicere & minus, quod saltem non tacendum in scripto meo existimaveram.

Auram feris oppositione Tua, quam pag. 93. adornas, dum Tu de alio loquaris, ego vero de cepis. Ego dixeram pag. 4. *Misnia Marchiones capite semper*, [ h. e. ut alias quoque lumi solet, plerumque, sive frequentissime ] *conspici nudo, sedentesque, & velut ad judicium faciendum compositos in nummis*; nam de his sermonem solum esse, verba immediate antecedentia Te docere hac potuissent: *ceu ex nummis ipsorum in Epistola ad summe Reverendum Dn. Abbatem Schmidium a nobis perscripta datur colligere*. Tu, ut haberes, cui contradicas, statim admisceas sigilla, quae, uti aequae mihi cognita, magnoque studio (ceu ipse fateri necesse habes) a me collecta ac delineata ad manum erant, ita non poteram ista, quae mihi impingis, si voluissent, pronuntiare, aut etiam mente concipere. Sed de Marchionibus id verum esse in nummis, quod dixi, atque tunc scripti, haurire poteris tum ex *Otonis Divitis, Alberti Superbi, Theoderici, Henrici Illustris, Marchionum Misnensium, nummis*, quos pag. 31. 33. 43. 65. Dissertationi priori de *Cella Misnensi* inserui, tum ex *nummis antiquioribus Saxonis & Misnicis*, quos, sumtus suppeditante Illustriss. Dn. *Hangwitzio*, propria manu delineatos, Tabulæ I. II. & III. æri incidi curavi.

Quando vero mones, observationem illam, *Marchiones Misnenses plerumque strictum gladiis tenere, restringendam esse ad Bracteatos*, non enim Te meminisse, illos cum gladiis in sigillis conspici, illud monitum plane omittere potuisses. Nam cum ego non nisi de *nummis Landgraviorum illorumque contentis*, poscente sic ordine, *ibidem loquar*, quis Te *Sigilla admisceere* jussit, in quibus, quod *vexilla dextris teneant*, & non *sinistra*, uti minus recte in *Ludovici III. Landgravii prodis sigillo* pag. 481. *Supplementi Tui II. Gothani*, dudum scivi.

Quid velis cum istis: *Expende, quaeso, num dicere liceat, Misnia Marchiones in nummis sese ut Marchiones stricto gladio, in sigillis ut Imperii Principes cum vexillo pingi voluisse*. Consule *Chiffletii Commentarium Lothariensem in Supplemento etiam meo pag. 348. allegatum, qui docet, Duces olim solitos investiri per vexilla, & Marchiones seu Marchises per gladium*; non capio. Nonne & idem, quod *Chiffletius*, dixi, *Duces olim investitos fuisse per vexillum, adducendo locum Otonis Frisingensis pag. 8. Henricus major natu Ducatum Bosaria per VII. vexilla resignavit. Quibus minori (Henrico) traditis, ille duobus vexillis Marchiam Orientalem cum Comitibus ad eam ex antiquo spectantibus reddidit. De Landgraviorum investitura sermo ibidem mihi fuit, non Marchionum, quos sedentes plerumque conspici in nummis affirmavi, tenentesque gladios, atque hoc verum esse, neque Tu, neque alius ire poterit inficias.*

Quicquid insuper pro defendenda hasta cum vexillo ex *Dithmaro* asfers & *Monacho Dobrilugensi*, nihil, mea quidem sententia, est, & ex multitudine errantium errorum non paries patrocinium. Siquidem res confecta est, *vexillum* dudum nomen patum fuisse proprie instrumentum bellicum, constans ex ligno oblongo ferrea cuspide munito, & lacinia eidem affixa, certa figura notata, ut a militibus, illud sequentibus, prae aliis discerni queat. Si ergo hoc vexillum est, quilibet videt, quam recte eligeratur illud à *Dithmaro* hasta signifera, à *Monacho Dobrilugensi* lancea, à qua dependet vexillum, à *Knauthio* hasta cum vexillo (ein Kämpf mit einer Jähne) qui omnes solo *vexilli* vocabulo (quod vs in *παράδοξον* in *Knauthio* saltem notaveram) rem illam rectius designassent, nisi

si vis concedere, rectius lignum cum bombarða, involucrium cum speculo, funiculos cum libra, pro bombarða, speculo, libra simpliciter dici.

Aperte mihi facis injuriam, dum festinanti calamo vis adnumerare, quod Typographi culpa factum fuerat. Nempè cum numeri Romani Typographi æque ac literæ longinquitate temporis & usû nimio valde essent detrita, contigit, ut monas illa (in Friderici I. vocabulo) non satis recte legentium oculis pateret, ideoque dum ultima vice plagulam corrigerem, signo notabam confverto, ut alia monas ex loculis substitueretur; Typographus vero putans (cum litura forte a monade paululum abtarsisset) aliam adhuc se debere addere, unam adhuc perperam adjecit. Hocque ita esse, ex inspectione duarum ilarum monadum ad oculum patebit, una quippe melius, quam altera, expressa; imo ex sequenti statim pagina 8. colligere id potuisses Typobeta vitium, itemque pag. 53, in quo utroque loco Ottonem Frisingensem de rebus gestis Friderici I. de quo adduxi, nisi in vitiis amici cernendis lyuceus voluisses esse potius, quam in excusandis talpa cœcior. Dehinc nescio, quam juste festinationis mihi dicam scribas ob Martini Poloni Appendicis prælatam Scriptori Historiæ Landgravorum autoritatem. Hac Appendix cum in MSto saltè in Bibliotheca lenensi existet, certo definire mihi non licet, uter horum Scriptorum antiquior sit; hoc tamen mihi ex B. Sagittarii Introductione in Historiam Ecclesiasticam pag. 70. constat, illum Auctorem de ortu Landgravorum Thuringiæ Anonymum, qui in MSto isto Poloni post vitam Alexandri Pape sequitur, longe auctiorem atque locupletiore esse, quam ille, qui a Iohanne Pistorio jam est editus. Sique hoc est, & is iisdem fundamentis usus est, quibus ille Reinhardsbornensis, huncque forte etiam ætate præcedit, non video, cur Reinhardsbornensi postponendus sit, certe non in hac re, quam & reliqui duo apud Pistorium excusi Auctores, & reliqui omnes Annales Germanici Thuringici affirmant, a B. Sagittario etiam ipso & a Te, Sagittarium in Supplemento Tuo II, Histor. Goth. pag. 347. sequente, in ordine testium prælatum; ut adeo ipsi, si non præcipua, quod Tu impugnas, sane non postrema, quod fateri habes, maneat autoritas. Martinum Polonum per compendium nominaveram, quod ista non pueris, sed his, qui istorum aliquam jam habent cognitionem, scripsissem, addita tamen nota ad fontes ducente, B. scilicet Sagittarii Epistolam, verba ista ex Martini Poloni Appendice primitus suppeditantem, docentemque illos, qui torte (quod metuis) putent, Martinum Polonum scripsisse de Landgraviis.

Si perlustrasses Errata typographica, vidisses vocem ultimam pag. 7. conscripti legi debere pro conscriptis, adeoque denuo concidere Tuam culpationem, quasi Annales Germanicos Isenacenses a Te pag. 348. citatos, a monacho Reinhardsbornensi conscriptos putaverim, contuderimque cum breviori de Landgraviis Chronico Reinhardsbornensi, quod pag. 319. 460. ac sequentibus subinde protulisti. Sed sicubi mihi ibidem neque de Isenacensibus (sive Iohannis Rhodii, Canonici Henacensis, sive alterius sint) neque de brevioribus Reinhardsbornensibus locis citatis a Te adductis sermo est, ita, qui confundere illos possim, alius augeretur. Ex meis vero Annalibus MStis Thuringicis Germanicis (cujus nominis ac originis isti sint, supra in contextu non definio, infra autem in adjecta nota (K) moneo, a Reinhardsbornensi monacho esse conscriptos) linea 2, pag. 7. verba nonnulla in proce-

nium produxi, atque in modo nominata & adjecta nota (κ) dixi, *verba ista adducta concidere prope cum illis, quae Tu in Supplemento Tuo Gothano pag. 343. ex Annalibus Hsenacensibus citaveras.*

Nunc Tecum ad *nolas* & *tintinnabula* pergens, in eo quidem Tibi, *Sagittarium* in *Originibus Ducum Brunsvico Lüneburgensium* corrigenti, assentior, qui *nolas* a vestimentis *Principum*; ex *Welsis* oriundorum, pendentes in frontispicio Ducalis Palatii Lüneburgensis ad *vulgaria catulorum insignia* retulerat, sed an aliquid praesidii nostrae opinioni aliis exemplis alias facis firmatae, ex *imaginibus* etiam *illis*, quas *Dn. Olearius* asservat, fœnerari possis, merito dubito. Siquidem plura non solum in iis occurrunt, quae *debitam mentiuntur antiquitatem*, adeoque pictoris cujusdam potius ingenii lusus crediderim, quam *verarum Palatinorum Rbeni & Ducum Bavarie imaginum* delineationes, ex illo ævo, quod prae se ferunt, vix residuarum. Nam his adscribi debere illas, *addita loquuntur insignia*, illo ævo haud consveta, & nescio, an *liber extet excusus*, ad quem illae spectent, certe mihi nondum est visus. Memini quidem, me aliquando apud *B. Sagittarium MStum* quoddam *Historiae Palatinae atque Bavaricae*, additis prope hujus formae iconibus, oculis usurpasse, num vero istud unquam lucem adspexerit, affirmare non habeo. *Nolae* vero & *tintinnabula* forma alias consveta in iis non comparent. *Rotunda* enim cum alias esse soleant, hic *oblongae* ac plane *turbinate* conspiciuntur, cujus figurae neque in *nummis*, neque alibi me observasse, recordor. Quae etiam, si ita fuissent, tantum in obambulando clangorem iisdem cinctus *Princeps* (nam in quibusdam *seditim* dependat a cingulo) edidisse credendus est, quantum vix noster Rupertus in exhibenda Christi larvati comœdia circa Salvatoris Festum Natalitium omnibus suis nolis excitare possit. Quod, si vero *aliam nolae* a Principibus gestandi *moris originem* Tibi investigare placuerit, ac invenire etiam licuerit, Tuo vicissim sensu Te facile tunc quoque abundare patiar, imo cuivis de iis in posterum amplius disceptaturo cappam ipsam, quod ajunt, cum nolis relinquam.

*Lilia Caroli Magni insignia fuisse*, ex meis pag. II. nunquam ostendes, cum ego saltem affirmaverim, *lilium signum sine dubio transmissum fuisse a Regibus Francorum*, & sicuti hic in *nummis Landgraviorum*, ita & in *sigillis Imperatorum istius temporis* conspiciendum, praesertim in *sceptris liligeris*, quae dextris plerumque tenere videmus. Addidi quidem in adjecta nota (τ) *Petrum Albinum* in Chronico Misnensi pag. 440. referre, in *Caroli Magni clypeo lilia fuisse*, eo ipso tamen, *simplici scilicet nudaque illa relatione, nugae illas Albinianas non adprobo*, quod Tu mihi affingis, quippe quod diu jam sciverim, armorum sive insignium *etatem ad Caroli Magni etatem non adurgere*, imo *ultra tempora expeditionum in terram sanctam evinci illam non posse*, ridereque illos, quod ipse nosti, soleo, qui Insignium antiquitatem ex *Rixneri Haestiludiorum libro*, *Albini Chronico*, aliisque hujus conditionis libris exsculpere, ac non sine jactantia deducere conantur. Mirumque non est, in *Landgraviorum nummis* lilia hinc inde comparere, cum illa jam in *Ludovici VI. Regis Galliae*, nummis non solum *solidis aureis* (Sols d'or) *Florenisque*, sed & *Denariis argenteis*, teste le Blanc en *Traité Historique des Monnoyes de France*, pag. 54. ostendamus, succelloris *Regis Philippi I.* qui anno 1108. in vivis esse desit.

B

Cete.

Cæterum illa opinio, quam *Petrus Bissaus*, in Notis ad *Vptonum*, p. 87. & sequentibus, *Ioh. Sebefferus*, in *de antiquis verisque Regni Suecia insignibus* asserit, de *Franciscis* & *bipennibus*, quos manu tenere *Clodovæum*, *Janus Cæcilus Frey* primus excogitaverat, indeque armorum Franciæ originem deduxerat, quæque, ut animadverto, *Tibi arrisit*, apud ipsos *Gallos calculum expectat*. Sed posito, non tamen concessio, fuisse *bipennem*, in sequentibus tamen Regibus degenerasse in *sceptrum liliatum*, verosimile fit admodum, ita ut in *Caroli Magni icone*, quam ex codice quodam *MSto Capitularium Regum Francorum*, collectoribus *Ansegiso* & *Benedicto Levita*, ad p. 799. in colloquiis *Tuis mensuris* anni 1690. exhibes, distincte *sceptrum liliigerum*, illum sinistra tenere videamus, hicque mos una cum isto, *lilia nummis subsiciendi*, devolutus sit in Reges quoque & Imperatores Romanos. Longeque aliud est, *Lilia loco insignium ante Philip-pum Augustum non invaluisse*, aliud, *Lilia in sigillis, nummis & iconibus ipsorum non comparere*: Prius concedo iubens, posterius nego; veroque accedere mihi propius omnino videtur, *Reges Franciæ & Imperatores Occidentales, gestatione sceptrorum Liliigerorum emulatos esse Orientales, sceptrum Consularia & aquilifera ferentes*, quæ etiam *Caroli du Fresæ* in Dissertatione de interioris avi Numismatibus num. 11. est sententia. Vidi equidem *Bullam* argenteam *Dagoberti*, Francorum Regis, simillimam cæreo sigillo, quod *Papebrochius* T. II. Aprilis Parte prima Propylei Antiquariæ Tabulæ primæ areæ inculpi tecti, in frontispicio *Bibliothecæ Tue curiosæ Repositorii l. luculo octavo* exhibitam, sed *bipennem non video*, neque alius necum, imo potius, uti omnium inspicentium oculis patet, *sceptrum liliigerum, seu in liliam supra desinens*. Ut adeo maneat, quod dixi, nempe, quod, sicuti vix in ullis aliis usum in valentem clarius licet cognoscere, quam ex nummis, ita sine dubio *lilia signam fuisse transmissum a Regibus Francorum in Imperatores & Principes Germaniæ*, nisi malimus statuere cum nonnemine, signum potius fuisse *independentis Domini*, sicubi illud in sigillis occurrat, atque in nummis. Dum vero porro opinionem Tuam de *munitione urbis Erfurtensis ex turribus consi-cienda* stabilire satagis amplius, occasionem simul mihi suppeditas commodam, clarius *Tibi* Lectoribusque ostendendi, quam infirmo, imo falso illa nitatur fundamento.

Dicis, si *Rota Erfurtensis* nota est *jurisdictionis superioris ac territorialis in Erfur-tum*, sequitur, quod & *turres in nummis non Henacum, sed Erfurtum significant*, & si *turres Dominium in Erfurtum indicant, etiam munitionem ejusdem urbis simul sub-innui statuendum esse*. Sed ignosces, spero, si Tuam hic non concedam consequentiam. Nam licet verum sit, quod *Rota Erfurtensis* in nummis sit nota, nummos illos *Erfurti fuisse signatos*, & consequenter, *Principem illum eudentem jurisdictionem superiorem, & territorialem in urbem illam habuisse*, (quod vel ex solis illis nummis Imperatorum comprobatum dabo, in quibus *ferrum moleninare* a tergo equitantis Imperatoris com-paret, indicans, *Mulbusii* illos fuisse constat, *Imperatoremque jurisdictionem superiorem & territorialem in urbem Mulbusinam tunc habuisse*) non tamen sequitur, quod *turres Erfurtum* urbem in iis designent, multoque minus *Erfurtensis urbis munitionem*. Nam hoc omni caret dubio, quod sicuti in nummis antiquis ac bractealibus *nihil frequentius turribus cernimus*, ita iis cum primis *Metropoles*, in quibus residere cum maxime Prin-cipes consueverunt, denotare voluerint. Et ne hoc forte vocent in dubium posteri, sæpi-ufcule & ipsis nummis *nomina earundem inculpi simul fecerunt*. Nam, quæso, quando *turres & adificia in Conradi, Aribonis, Christiani, Sifridi*, Archiepiscoporum *Moguntin-ensium; Eberhardi, Arnoldi, Theoderici*, Archiepiscoporum *Trevirensium*, additis literis *TREVERIS; Hermanni, Annonis, Ottonis, Hildulphi, Friderici, Philippi, Engel-*

Engelberti, Sifridi, Henrici, Conradi, Archiepiscoporum Colonienſium, addita vel ſola voce: COLONIA, vel: S. COLONIA A, (h. e. Sancta Colonia Agrippina) vel: CA. COLONIA. PATCIAI, vel: CA. COLONIA. RA 7 SCR. PA, vel: SANCTA COLONIA. vel: SANC. CI. CA. COLONIA, vel: SANCTA COLONIA CI; itemque in nummis Wigmanni, Archiepifcopi Magdeburgenſis; Gardolphi, Epifcopi Halberſtadienſis; Hartbodi, Epifcopi Hildesheimenſis; Heriberti, Abbatis Heilgenſtadenſis; Agnetis, Abbatiffæ Quedlinburgenſis; Hedwigis, Abbatiffæ Nordhuſanae offendimus, hoſce ne propterea omnes ac ſingulos urbium ſuarum munitiones inſtituiſſe credis? an potius Metropoles ſuas, Moguntiam ſcilicet, Trevirim, Coloniam, Magdeburgum, Halberſtadium, Hildesheimium, Heiligſtadium, Quedlinburgum, Nordhuſamque indicare iisdem tantummodo voluiſſe, mecum nunc, & rectius itarum? licet ex Hiſtoria conſtet, hunc illumve [v. g. Conradum, Archiepifcopum Moguntinum] menia urbis (Erfurtenſis) reſciſſe; Neque duce Hiſtoria ad ſpeciales ſignificationes & explicationes procedere ac deſcendere licet, cum ſeculi Geniis obſtet, ruditasque illius alta voce reclamet. Adeoque ſicuti in nummis Archiepifcoporum Moguntinenſium per turres & adificia Metropoliſ ipſorum, Moguntiam ſcilicet, rectius indicari credo, quam Erfurtum; ita in nummis Landgravorum Thuringia (v. g. Ludovici) per turres Iſenacum potius denotari, quam Erfurtum, perſuaſiſſimus ſum, praeterim cum inſcriptio nummi adſtipuletur; LVDOVICVS PROVINCIALIS COMES DE ISENAC. Miroque propterea, quam audacter affirmare non erubefcas, me ſilentio plane involviſſe Spangenbergii ſententiam, ab Oleario in Iſagoge prolata, renovatas Eccleſias (turribus maxime inſignes) nummis braſſeatis communiter ſignificari; cum ego ſingulari theſi, ſecunda ſcilicet, Diſſertationi ſubjecta pag. 167. iſtam Spangenbergii opinionem rejecerim, quam, ut rectius de illa, mentereque ſimul mea B. Lectori conſtet, integram hic repetam: § 2. braſſeati in certam rei memoriam caſi memoria non ſuccurrunt. Tradere ejuſmodi equidem anniſi ſunt Dn. Tentzelius & Olearius, & qui occaſionem ad hanc amplectendam ſententiam dedit Cyriacus Spangenbergius, cujus verba in de uſu & abuſu monetae p. 220. primum audimus: Die dünne und zum Theil gar breiten Pfennige ſind anders nichts denn Gedächtniſſe Geſtiſſter oder neu-gebaute Kirchen/ Capellen und Clauſen/darumb auch mehrenteils/ Biſchoffliche/ Prälatiſche/ oder der Heyligen ſiebende/ ſitzende oder reitende Bildniſſe darauf gepräget/ ſelten findet man wo ihrer viel bey einander eines Keyſers/ Königs/ oder Fürſten Bild und Nahmen darauff. Darumb ſind's meines Erachtens nur Gottespfennige geweſen/ die man beneben zugeſagten und verträſſeten Ablaß den mitgerbeilet/ die etwan was zu ſolchen Gebäuden geſteuret. Ampliſſimus vero Dn. Tentzelius, quando nobis perſuadere conatur, braſſeatos Conradi, Archiepifcopi Moguntini, nummos in memoriam reparatorum murorum Erfurtenſium fuiſſe conſtatos, itemque Eberhardi, Archiepifcopi eidem Moguntini, cum palma nummos in pacis, cu m Wormacenſibus & Moguntinis an 1254. ſancita, memoriam tuiſſe percusos, benevole ignoſcet, ſi diſſenſum noſtrum tum ſupra p. 12. & 146. tum hic omni cum modestia proſtecamur. Dn. Olearius denique non tantum in Iſagoge p. 4. ita de hoc negotio ſententiam ſuam prodit: In civilibus exponunt braſſeati Imperatorum, Regum, Ducum, obitum; Et p. 26. Quod reliquum eſt, notemus nummos, non ſolum illos ex industria memoriales, qui ſunt percusi, ſed alios quoque varias res notatu dignas indicare; ſed quoque in der curioſen Münz-Wiſſenſchaft p. 74. die größten braſſeati ſind die beſten/ und ſind meiſtentheils Gedächtniſſe Pfennige/ die Kleinern aber waren neſt erlichen groſſen zum Gebrauch im Handel und Wandel. Inde eſt, quod & memoriales & in obitum

Agne-

*Agnesæ* *cufos* ipsius *ordinarios* dicat *denarios*, ad quæ supra p. 147. jam pauca regessimus. Et quasi majores denarii ut plurimum fuerint memoriales? quod sane plane ita se habere non potest. Nam, præterquam quod *ob seculi ruditatem nihil tam politi & futuræ memoriæ conservandæ ergo excogitatum præsumere plane liceat*, per se patet, quod sicuti posteriora *Spangenbergii* verba veluti *falsissima* palpare quasi licet, ita prioribus fidem haberi non posse. Oppido siquidem reclamationem experientia, non multos e *ejusdem* *typifimul* reperiri, cum *aliquot centum unius formæ* sæpius fuerint inventi, terræ olim per olam, aut alia vasa, commutati? Dehinc quid vanius persuasione ista, quasi illi dati fuerint *indulgentiarum* *entoribus*, cum notum certumque sit, *monetam consuetam, currentem, ac ordinariam fuisse*, ut taceamus, *seculo undecimo duodecimoque*, quibus jam existitisse bracteatos novimus, *indulgentiarum* pro peccatis *nundinatores* adhuc fuisse *in rebus ignotis*. Hucusque *Thesis* mea secunda. Manet ergo, quod superius jam affirmavi, denuoque hic repeto, quod *memoriam verum solemnium*, v. g. *Pacis* publice sancitæ, vel murorum reparatorum, aut munitionis civitatis *Tecum*; vel moris personarum *Illustrium*, tum secularium, tum ecclesiasticarum cum *Dn. Oleario*; vel extructionis *Temporum* aut *Monasteriorum* cum *Spangenbergio* in nummis bracteatibus investigare nihil sit aliud, quam pisces in igne quarere.

Pag. 13. Differtationis *meæ non originem primam* *crucem* rebus variis adjiçendi *indicare volui*, (quod Tu equidem Tibi persuades, ut habeas, quod carpas) quæ omnino a *primis Christianorum temporibus* accersenda venit, cujusque rei luculentissima exempla apud *Aringbium* in *Roma sua subterranea* pag. 49. 80. 105. 107. 150. 151. 157. 201. 203. 205. 209. 213. seqq. & apud *Iohannem Baptistam Casaliu* de *veteribus sacrorum Christianorum ritibus* pag. 3. 4. 5. 6. 7. 10. 12. 233. alibi que possunt; *illanz* quippe *antiquirem esse*, sequenti pag. 14. ipse ostendi, dum *crucis signum* in *Græcorum non solum*, sed etiam *primorum Christianorum Imperatorum*, itemque *Regum Francorum nummis* jam offendi, exemplis non unis evici, Tuoque *Tertulliani* dicto *Cbrysolomi* possem jungere ex homilia 55. in *Matthæum*: *Neminem pudeat horum salutis nostræ Symbolorum atque signorum &c. quapropter & in penetralibus & in parietibus & in fenestris & in fronte quoque ac mente magno studio crucem inferamus. Id enim salutis nostræ, id libertatis, id mansuetudinis atque humilitatis Domini signum est*; Sed saltem *consuetudinis illius incrementum*, quod in tempora *expeditionum in terram sanctam* conjeci, hocque *latis clarum est* ex verbis meis: *Tertio & quarto* (nummo) *crux adbareat, pro seculi more, ac insigni, quæ NB. tunc invaluerat* (non cæperat) *superstitione*; Et p. sequenti 14. *Maxime vero NB. invaluit istius* (crucis signi) *usus, ex quo expeditiones Christianorum Principum suavis Pontificum adversus infidelium turbam in Palestinam fuisse institutæ.* Quod certo certius esse, omnes mecum fatentur, & Tu ipse quoque inficias ire non potes. Quando vero dicta pag. 14. inquit: *Non aliunde vero mos ille repetendus est, quam a Christianorum Imperatorum temporibus &c.* sermo mihi est (ceu unicuique legenti, & ex adductis proxime insequentibus exemplis patet) *de more inprimis crucis signum in nummos*, quippe quo suos omnino Imperatores Christiani a *Gentilibus & Muhamedanorum nummis* volebant esse distinctos, atque in quo *tempore longe posteriores Reges ac Principes*, inque his *nostri* etiam *Landgraviæ*, illos secuti sunt; quodque tandem verum manebit, donec Tu mihi *Dominicæ crucis signum* in nummis *Cæsarum Romanorum, aut primorum Christianorum* ostenderis.

Non nego, *subscriptions literarum per crucis signum olim factas me* confirmasse ex *Carolo du Fresne & Mabillonio* (sic enim impostera illum cum nonnullis appellare placet,

cer, Tu per me cum aliis Mabilionem dices, cum neque Salutis neque Latinitatis cardo in hoc versetur *tanquam fontibus*, occasione lectionis Tuarum Decimarum Hennebergenfium, quæ tunc forte ad manus erant, egoque evolutione Autorum istorum superledere vellem; (c. vero quam facile pro t, & n pro ri typhothæ culpa irrepere queat, omnes sciunt, quibus inquam cum istis hominibus aliquid fuit negotii) sed hoc nescivi, male Te hoc habiturum, quod omisso nomine Tuo istud fecerim ideoque *in restaurum*, ut superioribus loquebantur seculis, vel ut hodie id efferre solemus, *in vicem ejus & compensationem* Tibi vicissim imposterum liberum esto, *initia literarum per crucis signum facta*, quæ ex Gramajo & Alke. *radio* sequenti pag. 14. probata dedi, ex istis rursus Autoribus, ubicunque volueris, me plane non citato, asserre, cum in hoc mustaceo lauream non quæram.

*Diplomatis clausula est, quam compendii causa sic nominavi, sive uni, sive duobus diplomatibus, iisdemque sive Autographis sive descriptis subjecta fuerit; mihi latis est, quod subscripta fuerit diplomati, indicetque illud, quod probatum volebam, nempe a Barba vocabulo Barbati nomen accepisse Ludovicum Landgravium. Baronis vero vocent dum consueveram tunc existimas, & ad du Fresne me ablegas, scias, Baronis vox, quanvis tunc in usu fuerit (nam Persii & Isidori jam avis Baronis vox ministrum significabat) vix tamen recepta eo in sensu fuit, quo proditur a Langio, nempe ut significet Dynastiam certæ ditionis, & Comiti aequipollat. Refert quidem in Capitularibus Caroli Calvi, Barones & proceres sive magnates idem esse, sed an hoc sufficiat, merito dubito.*

*Ab omni tandem contradictionis nota, qua Tu sub finem Epistolæ Tuæ me adhuc adspargere satagis, immunem atque liberum me pronunciaturos confido, aquos Lectores omnes, quando pag. 27. Dissertationis meæ cum Annalium Thuringiæ conditoribus & Autore de Landgravii Thuringiæ Ludovicum barbatus Landgravium Thuringiæ hospitium ac peregrinum in his terris, nihilque præter prædia villasque paucas a se conditas possidentem, pagina vero 17. cum Langio in Chronico Citicensi pag. 272. eundem paulatim potentia divitiisque pariter crevisse, castella & prædia sibi cœmisse varia, plurimamque ita successively Thuringiæ partem acquisivisse, dixi, si consideraverint, me priori loco de adventu Ludovici in Thuringiam & prioribus regiminis sui annis, in posteriori vero loco de sequentibus & ultimis vitæ ac regiminis sui temporibus locutum esse. Pauperissimus siquidem divitiis potest crescere; & Dei accedente benedictione, ditari, quidni & tanti stemmatis Heros? Si distinguere ergo modo voluisses tempora, Tibi ista quoque statim concordasset scriptura. In quo desino, hoc unice Te rogans, velis imposterum iis objectionibus, quæ non alicujus sunt inomeati, mihi Tibique tempus non amplius perdere. Ad ea, quæ contra Dissertationem meam de Cella veteri in Bibliotheca Tuæ curiosæ Repositorii primi loco tertio & sequentibus, in medium protulisti, in quibus nonnulla sunt, quæ omnino altioris sunt indaginis, peculiari scripto Tibi respondebo. Dominus vero Knautius cum sua semet fatis Lectori depinxerit Epistola, labore isto ut superfedere queam, simul fecit. Ita vale & in literarum augmentum, Saxoniceque imprimis Historiæ, quæ a Te ultimam jam manum per nummos expectat, incrementum vive.*

Dabam Arnstadii die 6, Novembris A. R. S. MDCCLV.

QX Wd 379

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

n.0





ULB Halle

3


006 032 907



VD18







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

iani Schlegelii

# STOLA

## OGETICA,

ectiones Tentzelianas  
& modelste respon-  
detur.

*Hamburgi.*

o MDCCV.

